

16
1.
29
3.
4a
5
6a
7
8a
9
10
11
12



1671.

1. Mebelius, Balthasar: De regula juris naturalae
2. a. Diebold, Antonius: De enumeratione complicum.
2 Exempl.
3. Traing, Petrus: De praesentia.
4. a. Terren, Thomas Balthasar: De jure praecedentiale in
genere. 1 Exempl.
5. Koch, Joh. Nicolaus: De juris fictionibus
6. a. Mueg, Georg Fridericus: De pertinentiis.
2 Exempl. 1718.
7. Muehlppert, Johannes Justinus: Dissertationes juridicae
circa morbum et curam aegrotorum
8. a. Prior, Johannes Philippus: De matrimonio ad mor.
ganaticam contracto. . . . 2 Exempl.
9. Rebharius, Johannes: De stipulationibus
10. Rebharius, Johannes: De interpretatione juris obscuri
11. a. Rollwagen, Jacobus Fridericus: De comparatione literarum
12. Scheffer, Joh. Philippus: De Augustissimo judicio Julii. Caes.
res²

1671.

13^a et Schobbaum, Johannes: De pariete communis ejus lingue
jure. 2 Bunde. 1671.

14 Stalburger, Joh. David: Jus militare Germanicum.

15 Dalberg, Eckhardus, lib. 6. a: Quaestiones selectiores
ex jure feudali de promptae

16 Dalberg, Fredericus Antonius, C. G. a: De jurisdictione

17^a et Stoccken, Gerardus, orator: De jure majestatis Imperatoris
Romano-Germanici. 2 Bunde.

18 Hoenerus, Gothofredus: Analysis l. 3 Cod. de jure
republicae lib. VI.

19 Hoenerus, Gothofredus: De appellatione in criminalibus

20^a et Thilen, Nicolaus: De univ. ecclesiarum
atque beneficiorum ecclesiasticorum. 2 Bunde.

me

er

is

er

er

er

er

er

er

er



Faint, illegible handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is written in a cursive script and is mostly obscured by the paper's texture and fading.







PHILOGON

TURIS

BEI II



12145.

N^o 39

*
Deo Auspice!

1671

Ju

DISPUTATIONEM THEOLOGICAM,
DE

REGULA JURIS NATURÆ,

SVB PRAESIDIO

VIRI

*Plurimum Reverendi, Amplis-
simi, atque Excellentissimi,*

DN. BALTHASARIS BEBELII,
SS. Theol. D. ac P. P. longè celeberrimi,
summi Templi Ecclesiastis, & Inspectoris Collegii
Wilhelmitani Grauiissimi, Domini Patroni, Præceptoris
atq; Promotoris sui summè suspiciendi.

Publicè

Defendet

LUCAS SEBASTIANUS Ritter/

Mœno Francof.

Ad Diem 13. Aprilis h. lq. s.

ARGENTORATI,

Literis GEORGII ANDREÆ DOLHOPFFII,

Imprimebat JOHANNES Schus.

Anno M. DC. LXXI.



VIRIS
MAGNIFICENTIA GENEROSA
MERITORVM GLORIA
ILLUSTRIBUS;

MAXIME STRENVIS, MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, AM-
PLISSIMIS, PRVDENTISSIMIS

DOMINIS:
PRÆTORI,
CONSULIBUS,
SCABINIS,
SCHOLARCHIS,
SYNDICIS,
SENATORIBUS,

ILLUSTRIS REIPUBLICÆ FRANCOFURTANÆ
AD MOENUM,

DOMINIS GRATIOSISSIMIS,
Patriæ Patribus Benignis, Dominis Evergetis Maxu-
mis, Mæcenatibus Optimis, Promotoribus ac Pa-
tronis omni honore prosequendis.

Exercitium hoc Theologicum,

*ea, qua par est, Observantia
offert & consecrat*

Lucas Sebastianus Ritter/



J. N. D. N. J. C.



Liquot anni effluxerunt, ex quo de principii actionum christianarum in solenni cathedra disseruimus; operæ precium videbatur, materiam istam uberius declarare & illustrare: Periculosè enim nonnunquam erratur, dum sunt, qui principium actionum & legum humanarum periculosius statuunt. Verbum Dei, & hoc in sacris literis revelatum, est unicum illud infallibile & incorruptum exemplar, juxta quod omnes hominum actiones, quotquot Deo placere, & conscientia satisfacere possunt, instituendæ sunt, & diiudicandæ: Hoc lumen quia à plerisque spernitur, mirum non est, si aberrant à via honestatis & sanctitatis. Superest equidem aliqua imaginis concreatæ quondam scintilla, sed ea tanti non est, ut homini facem præferat sufficientem, quid de agendis sentire debeat; videmus, ut in præcipitia ruant, qui ejus se ductui unius committunt, dum imperfecta ea est, & tenuè illud, quod restat, miserrimè corruptum: contra verò feliciter iter faciant, qui verbum Dei ducem sequuntur. Quæ cum ita sese habeant, utile erit, imò necessarium, aliquid ejus rei porro, & hoc quidem tempore, disputare, quo juris naturæ & gentium termini latius nonnunquam & periculosius extenduntur. *Deus cæptis Spiritus sui Sancti gratiâ clementer adspiret!*

A

§. I. Con-



§. I. **C**onstituimus disputare *de norma legis naturæ*, ut jam est post lapsum, quod ut methodicè & feliciter fiat, *termini* prius erunt distinguendi & declarandi. *Lex, seu jus naturæ*, sumitur vel latius, vel strictius, *isto sensu* notat quemcunque naturæ instinctum, & motum, etiam physicum, ut est appetitus gignendi; dicitur *communis*, quia & bestiis instinctus sunt insiti: Sed in eo æquivoco sensu non accipimus *h. l. Accersamus jus naturæ*, ait Wesenbec. paratit. tit. 1. p. 34. non ex naturalibus duntaxat inclinationibus, quæ in hac naturæ depravatione vitiosæ res sunt, supra quam à nostris intelligi potest Jurisconsultis, ut Ethnicis hominibus, quia non natura, quam integram & sanam putarunt, sed consuetudine prava homines peccare, & injustos esse, arbitrabantur: sed de principiis etiam practicis mentis, quæ immotæ sunt in natura ordinationes divinitus sancitæ, & perpetuò recti judicii vallo honesta à turpibus dividunt, & affectiones ac inclinationes naturæ depravatas in gyrum rationis ducunt, jus naturæ repetamus. *Hoc verò* significat habitum mentis, constantem ex notitiis practicis conscientiæ à prima hominis conceptione & nativitate insitis de quibusdam sive agendis, sive omittendis. Hæ autem notitiæ spectantur vel ἐξ ἀφαιρέσεως, vel ἐκ ἐπιπέσεως; isto sensu, nempe in abstractione mentali sumptæ, sunt particule homogeneæ, ex imagine divina reliquæ, & eatenus falli non potest, qui ipsarum judicium sequitur; hoc verò sensu accipiuntur, prout hodiè in homine existunt imperfectæ, & mixtæ cum variis erroribus & defectibus. *Mens humana multis est sæpè ipsa obcæcata erroribus, nec semper potest verum à falso discernere, sed in eo fallitur plerumque non tam rerum ipsarum incertitudine, quæ nulla est, quam judicii imbecillitate & ignorantia; nec propterea putandum est, mutari naturam; sed cum una sit & simplex, diversa tamen & multiplex affectis diversè animis apparet; qui plus ingenio & doctrina possunt, rectius omnia judicant: qui utroq; aut altero, destituuntur, offendunt sæpissimè*: Sapienter censer Franciscus Connanus JCrus Parisiens. Comment. Jur. Civ. lib. 1. c. 1. §. 6. f. 4. Videas hoc in gentilibus, qui de Deo deque rebus honestè agendis aliquid equidem sciverunt, sed quia non rectè & perfectè sciverunt omnia, imò prava sua cogitata admiscuerunt, complemento verbi divini & scripturarum destituti, miserimi in tenebris oberrarunt. Audiamus Apostolum Rom. I, 18. mentionem enim facit veritatis, quam in injustitia detinuerunt gentiles,

gentiles, intelligens per veritatem notitias illas de Deo existente, invivibili, potente, creatore universi, laudando, & venerando; deque castitate & reliquis virtutibus perpetrandis: ita enim semetipse in verbis è vestigio sequentibus vers. 19. seqq. explicat. Duo igitur simul in animis gentilium extiterunt, veritas & injustitia, hujus culpa factum est, ut ista in rebus credendis & agendis locum suum & judicium non haberet, sed corrumpetur.

§. 2. *Subjecta* quidem diversa sunt, alia enim luce verbi divini sunt illuminata, ut Christiani sumus: alia non sunt illuminata, qualia sunt homines à verbo divino in scripturis lucente destituti. Cæterum in eo tertio conveniunt, quod residuum in ipsis lumen naturæ, seorsim, & in sese spectatum, citra influxum luminis melioris, quod revelatum est in verbo Dei, non possit præstare judicium de rebus sive agendis sive credendis satis adæquatum, accuratum & tutum. Seponat homo, luce verbi divini illustratus, lucem istam, & judicet de officio hominis ex mero, quod superest, lumine naturali, deprehendat ipse, si judicium ad normam verbi divini examinaverit, quod vel imperfectius istud sit, dum non eousque, quo requirebatur, sese extendit, vel corruptius, quàm quo sincerum judicium feratur.

§. 3. Ut clarius hæc pateant, amplius declarandum erit jus, seu lumen naturæ. Consideratur autem vel *extensivè*, vel *intensivè*, seu vel secundum suam extensionem, vel secundum suam intensionem. Secundum *extensionem*, quoad objecta quæ revelat & dirigit; secundum intensionem verò quoad modum, quo revelat, dirigit, & judicat. Sententiâ nostrâ lumen naturæ deficit & in extensione & in intensione judicandi; ista, quia non judicat de omnibus objectis, quæ ad officium nostrum spectant, neque satis accuratè judicat de iis, quæ in sphaera sua complectitur. e. g. Concupiscentia originalis sub objecta luminis naturalis non cadit, quare nec ipsum de ista quicquam arbitrari potest; actualis autem concupiscentia, ex isto fonte manans, cadit quidem sub objectum luminis naturalis, quod etiam malè cogitata, & concupita damnat, neque tamen ita improbat, & damnat, quemadmodum Scriptura Sacra improbare & damnare consuevit.

§. 4. Ut propius ad statum controversiæ collimemus, distinguendum porrò erit inter ipsum jus naturale, & inter *normam*, juxta
A 2 quam

quam judicandum est, an aliquod factum juri naturæ sit congruum vel incongruum. Normam voco istud principium primum, immediatum, & verum, quo posito & adhibito, actio aliqua à lumine naturæ elicitæ vel imperata intelligitur. Talem normam (omissis aliis sententiis) hodiè quidem putant esse *utilitatem & necessitatem societatis politicæ*, ut illud juris naturalis esse censendum sit, quidquid ad commodum & salutem primum quidem Reipublicæ, deinde verò singulorum, vel plurium fecerit. Ista autem publica, vel etiam privata utilitas & necessitas alia est vera, alia putatitia: *Vera* ea, quæ Remp. vera & solida felicitate beat, qualis est illa, quæ ex gratia Dei reconciliati in homines redundat, tanquam benedictio & præmium veræ virtutis; *putatitia* autem ea, quæ speciem solum alicuius commodi mentitur, revera autem, saltem in suo effectu, & fine, damnum est, vel damnosum quiddam sive animæ, sive corpori, sive utrique simul.

§. 5. His præmissis *status controversiæ* hic emergit: *An utilitas societatis civilis sit regula & norma juris naturæ propriè sic dicta, juxta quam ratio humana sibi relicta de agendis vel omittendis infallibiliter possit judicare?* Distinctè respondemus: Intelligitur utilitas vel vera, vel apparens; *si vera*, respondemus non omnem veram etiam civilem utilitatem à lumine naturali revelari, adeoque neque lumen naturæ juxta omnem veram utilitatem de officio hominis posse judicare; juxta *aliquam* posse concedimus; juxta *omnem* negamus: Sin autem *apparens* utilitas intelligatur in quæstione, respondemus utilitatem istam apparentem non esse regulam juris naturæ judicandi de agendis, vel omittendis. Omne quidem jus naturale respicit utilitatem hominis & Reip. sed non omne, quod utilitatem hominis, vel Reip. respicit vel promovet, saltem *ἄλλοθεν*, est juris naturalis. Fatemur, si quid revera & constanter utile fuerit Reip. id ad jus naturæ referendum esse; Ratio autem à priori, cur ad jus naturæ aliquo saltem modo referendum sit, est non utilitas qua talis, sed voluntas Dei, in scripturis vel conscientiis revelata. Unde dicimus porrò, illa vera utilitas, quam aliquam concessimus, est juris naturæ norma non independens, sed dependens, non primaria, sed secundaria, adeoque regula solum analogicè sic dicta. Dependet enim à judicio scripturæ, quod supremi tribunalis & fori est, unde primum petenda est sententia de utilitate vera in Remp. redundante: Deinde conscientiæ juxta scripturam regulatæ & convictæ.

Duplex

Duplex igitur norma est juris naturalis, alia externa, alia interna. Externa est verbum Dei in scripturis revelatum; Interna sunt rationes illæ, quibus convincitur conscientia, quod actio aliqua sit vel licita, & honesta, vel illicita & inhonesta.

§. 6. Sententiam nostram assertionibus quibusdam includamus, quarum I. *Ratio humana sibi relicta non potest iudicium ferre perfectum & adequatum de officio hominis naturali quocunque.* Dico *sibi relicta*; si enim aliundè, nempe verbo Dei juvetur, potest ferre; dico *perfectum & adequatum.* Posse enim de uno vel altero facto externo, & aliquo modo arbitrari, concedo. Sententia hæc nostra congruit sententiæ Symbolorum & Theologorum nostrorum. Augustanæ Confessioni, quæ art. XVIII. *aliquam solum libertatem ad efficiendam civilem justitiam, & deligendas res rationi subjectas arbitrio nostro concedit.* In quem sensum etiam Apologia art. XVIII. p. 218. loquitur: *Habet humana voluntas libertatem in operibus & rebus deligendis, quas ratio per se comprehendit. potest ALIQUO MODO efficere justitiam civilem, seu justitiam operum &c.* Articulorum Schmalcaldiorum pars III. art. I. pag. 318. rejicit sententiam Scholasticorum, docentium, *hominem habere liberum arbitrium faciendi bonum, & omittendi malum, & è contra omittendi bonum, & faciendi malum.* Formula concordia in epitome articuli II. qui est de libero arbitrio. §. II. p. 579. *Voluntatem hominis nondum renatam credit, docet & confitetur, non tantum à Deo esse averfam, verum etiam inimicam Deo factam; ita ut tantummodo ea velit, & cupiat, iisque delectetur, quæ mala sunt, & voluntati divinae repugnant.* Declaratio sententiam uberius explicat p. 657. *Et si, ajens, humana ratio, seu naturalis intellectus hominis OBSCURAM aliquam notitiæ illius (concreatæ) scintillulam reliquam habet, quod sit Deus; & PARTICULAM aliquam legis tenet, tamen adeo ignorans, caeca, & perversa est illa ratio, ut etiam si ingeniosissimi & doctissimi homines in hoc mundo Evangelion de filio Dei, & promissiones divinas de æterna salute legant vel audiant; tamen ea propriis viribus percipere, intelligere, credere, & vera esse, statuere nequeant.* Hæc illa: Quæ quidem in ultimis verbis de ignorantia mysteriorum Evangelicorum loquitur, sed in præcedentibus agit de iis, quæ alias lumini naturali subjecta sunt, dicitque obscuram esse ipsius notitiæ. Hactenus libri nostri Symbolici. Ex quibus patet, quod ingenii humani aliquod quidem lumen & iudicium sit in rebus humanis, etiam moralibus, *obscurum*
A 3 tamen,

tamen, adeoque insufficiens, quod tutam ferat sententiam de rebus agendis, vel omittendis.

§. 7. Eadem est sententia Theologorum *γνώσιος* Lutherano-
rum : Lutheri, qui Tom. V. Jen. fol. 520. ita sentit : *Ob gleich etliche in
der Welt auffß allerhübschste leben/haben hohe Vernunft/und viel köstlicher
Gaben Gottes / geschickt zu regieren / und andere Leute zu underweisen etc.
doch ist es eitel Finsternuß mit ihnen/und sind mit demselbigen / so sie ha-
ben/dem Teuffel untermorffen zu seinem Dienst.* Chemnitius part. 1. Loc.
de Deo, de notitia naturali sentit, quod sit in rebus divinis IMPER-
FECTA, quia gentes aliquam tantum particulam legis noverunt. De interio-
ribus verò cultibus prima tabula, nihil certi vel novit, vel statuit ratio: tantum de
QUIBUSDAM externis & civilibus negociis docent quidam gentium Philoso-
phi. Interea miscet MULTA *ἀτοπα ἢ παράδοξα*, de quibus nec inter ipsos
satis convenit. LANGUIDA, quia etiamsi impressum est humanis mentibus, esse
Deum, & precipere obedientiam, juxta discrimen honestorum & turpium, tamen
assensio non tantum languida est; sed horrendis dubitationibus sæpè excutitur. Inde
concludit, quod notitia naturalis debeat subordinari divinæ relationi in verbo
ita, ut, sicubi dissentiat, vel pugnet, cedat naturalis divinæ. Quæ etiam in illis in
quibus consentiunt, robor & certitudinem addit naturali. Hæc ille. Ex dictis
apparet sententia, quam supra nostram fecimus, nempe, rationem
naturalem quoad res etiam civiles agendas, vel omittendas, defice-
re & quoad extensionem, dum imperfecta est ipsius cognitio, &
quoad intensiorem, dum languidus est assensus & impetus agen-
dorum.

§. 8. Propositâ Ecclesiarum & Theologorum Evangelico-
rum sententiâ pergimus ad *argumenta* ex sacr. literis deducenda. Ista
enim (1.) *accusant cæcitatem humanarum mentium, qua parte adhuc irrogenita
istæ sunt.* Gen. VI, 5. VIII, 21. omne etiam *ἄγνοια* figmentum cordis humani
dicitur esse tantum malum à prima usque infantia. Rom. VIII, 7. Etiam
φρόνησις prudenter & sapienter cogitatum animi humani dicitur
esse adversus Deum inimicitia ipsa, adeò corrupta est ratio, cum
optima est. Ephes. IV, 17. 18. 19. perhibentur homines irrogeniti ambu-
lare in vanitate mentis suæ, tenebris obscuratum habentes intelle-
ctum, propter ignorantiam, quæ est in natura ipsorum, & propter
cæcitatem cordis ipsorum. Hæc & similia dicta præcipuè equi-
dem produnt cæcitatem humani ingenii in rebus divinis, qua parte
supra

supra captum animorum nostrorum positæ sunt, at tamen res etiam civiles non omninò exclusæ sunt, in quantum referuntur ad sapientiam & voluntatem divinam, quod eo quoque respectu intellectus humanus satis obscuratus sit. Exempla Ephesiis subjecta id satis declarant. Subjicit enim tanquam fructus ignorantia istius, impietatem, impuritatem, ignorantiam, vitia, quæ etiam utilitati publicæ nocent.

§. 9. (2.) *Rejiciunt humanum ingenium, cum sermo est de iis, quæ etiam in publicum conducere debent.* Deut. IV, 1. seqq. sermo est, de iis faciendis, vel omittendis, quæ fieri vel omitti debent ab Israelitis, terram Canaan felici itinere adituris & possessuris. Ea verò Deus non vult commissa arbitrio Israelitarum, tanquam ipsis liceret addere, vel detrudere pro lubitu, quod vellent; sic enim ait; *Et nunc Israel audi præcepta & judicia, quæ ego doceo te: ut faciens ea vivas, & ingrediens possideas terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum daturus est vobis. Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.* Quæstio erat, quid faciendum, vel omittendum esset iis, qui feliciter etiam quoad externam felicitatem velint adire terram promissam? Respondit Deus, facienda esse ea, quæ ipse præcepisset, minimè autem ea, quæ ipsi homines arbitrarentur. Repetit cap. XII, vers. ult. XXIX, 19. seqq. XXXII, 28. seqq. Ubi simul recensentur minæ, & calamitates etiam civiles, mansuræ eos, qui postposito iudicio divini suorum cordium consilia & sensa fuerint secuti. Nec est, quod excipias, etiam ea, quæ lumen naturæ dictitabat Israelitis, fuisse inter ea, quæ Deus ipsos facere voluit. Nam hoc ipsum in quæstione est, unde ratio ipsorum sibi relicta scire potuerit, hoc, quod intus dictitabatur, esse juris naturæ?

§. 10. *Assertio II. Utilitas & necessitas politica societatis, quæ sic videtur rationi carnali, non est regula, vel Lydius lapis, juxta quem tuto & infallibiliter examinari & judicari potest, quod sit officium hominis naturali juri consentaneum vel dissentaneum.* Ratio assertionis est, quod per verbum Dei jubeamur interdum facere, quæ Reip. utilia non sunt, vel non esse videntur, eo modo, quo carnalis ratio utilitatem æstimat. e.g. Prædicatio Evangelii verbo divino congrua discipulis & ministris Christi imperata est Marc. XVI, 15. hujus verò gratia mundus sese moturus erat è sua quiete, & collidendi invicem amicissimi parentes, liberi, cognati, affines Matth. X, 34. Luc. XII, 51. Quo argumento Adversa-

rii Paulum & comministros invidiosissimè accusarunt Actor. XVII, 6. confer Matth. XXI, 10. Luc. XXIII, 5. Actor. XVI, 22. XXI, 27. Hæc equidem per accidens, respectu verbi divini, per sese autem ex malitia desperati mundi, fiunt; Nihilominus ratio sibi relicta iudicium ferre non potest, nisi à verbo Dei illustrata, quod verbum istud ejusque ministri in tanto turbarum periculo admittendi sint.

§. II. Agimus autem hic cum iis, qui aliquem pietatis sensum habent, vel videntur habere. Non cum aliquo Machiavello, cui ista nostra absurda non fuerint. *Quis sanè, dicit, se virum omnibus paribus bonum præstare studet, eum inter tot non bonos periclitari necesse est. Necessarium est itaq; Principi, si se salvum velit, ut sciat, qua ratione possit esse non bonus, idq; pro rei necessitate in suum usum convertat, vel non convertat.* Hujus furfuris homines hoc quidem loco omittimus: & cum iis agimus, qui Scripturæ Sacræ, religioni & honestati suam auctoritatem relinquunt, vel saltem videri volunt id facere. Stante ista utilitatis & necessitatis politicæ regula, sequuntur absurda oppidò multa. Eamus per præcepta Decalogi. Prima tabula, ejusque capitale præceptum concernit religionem & cultum divinum; Deum aliquem esse, eundemque esse debito modo colendum, naturæ quidem iudicium dicitur: Idem tamen non dicitur nobis, quis sit verus Deus, quisque genuinus ipsius colendi modus: Constituto igitur quod utilitas publica sit ratio, juxta quam Deus colendus fuerit, sequetur, eam subinde religionem, eundemque cultum esse amplectendum, unde aliquid commodi ad Remp. videtur redundare. Exempli loco sistimus Jeroboamum, qui cum salutem sui regni supremam putaret legem, talem ipse religionem adornavit, quæ isti retinendo & stabiliendo inservire videbatur. 1. Reg. XII, vide, quæ notavit Sanctius ad loc. cit. p. 1169. *Timebat, dicit, homo callidus Jeroboam, nisi suo sibi regno maturè caveret, futurum, ut aliquando gens, quæ à Davidica familia discesserat, ad eam mutato consilio revocaretur.* Videbat enim in Roboami potestate templum esse, in quo offerri tantum sacrificia licebat: sciebat à lege universos ex Israhelico semine juberi ter annis singulis templum obire, quod suis rationibus videbat incommodare quam plurimum. Amor enim templi omnium augustissimi, quotquot orbis habuit, & religio tanta, atque mundities tam loci, quam eorum, quæ ipsi viderant, fieriq; audiebant, continentè penè studio ab ordine
Leviti-

Levitico, caperent sine dubio tunc animos alienos, & amare facerent Regem, & familiam, quam tunc odissent, dissolvereturq; regnum; quod tunc à tumultuante, atq; seditioso populo constitutum est. Quare statuit omnino avocandum esse populum à templo: & quia durum erat avocare à religioso cultu, cui à multis seculis ante assuevissent, in suis quoq; finibus templum adificare constituit, & novos ibi Deos conflare, ad quos populus religionis gratia conveniret. Rem quidem tentavit magnam, perfecit tamen homo callidus; Sic nullam perpetuam habebimus religionem, sed indies mutabilem, juxta vicissitudines temporum & rationem status. Quod, quàm absurdum sit, ille videt, qui novit ex Dei verbo, unicam esse perpetuam & immutabilem veram religionem, quandoquidem regula ipsius sit Dei voluntas perpetua, & immutabilis. Hæc regula esto utilitatis publicæ, ut tum demum salva & felix Resp. sit futura, si veram religionem sectetur; Minimè autem ea religio amplectenda sit, quæ tantum in speciem videtur Reip. utilitatem adferre.

§. 12. In secunda tabula statim in fronte sistuntur nobis Parentes, & qui horum nomine censentur, Magistratus Politici. Hos Deus vult in honore haberi, tanquam suos ministros, & vices gerentes. Exod. XX, 12. Rom. XIII, 1. seqq. Idque vult non de iis tantum, qui sinceræ religioni, & virtuti sunt dediti; Sed etiam iis, qui falso cultui, & vitiis Remp. evertentibus, sese manciparunt. 1. Tim. II, 1. 2. seqq. 1. Pet. II, 1. Fac jam utilitatem & necessitatem publicam juris naturalis regulam, quid fiet cum Magistratu, tyranno, & Reip. noxa? Removendus ille erit, & nisi aliter Reip. succurri possit, vel ipsa vita mulctari; Non pudet equidem quosdam, totum nobis argumentum largiri, utpote qui docent, Magistratus sive hæresi, sive tyrannide laborantes è medio tollendos esse, sed pestilens hæc hæresis nondum hæctenus, Deo sit laus, cathedras vel suggestus, vel libros Evangelicorum commaculavit; prono tamen illa flumine sequitur ex illo, quod dicitur, id juris naturæ esse, quod Reip. conducit.

§. 13. Cædes hominis, nisi Magistratui legitimè judicanti, omninò ordinariè verita est. Gen. IX, 5. 6. Exod. XX, 13. Jac. II, 11. &c. Ponamus autem hominem vnum vel plures, opibus instructos, à quibus sibi Resp. metuat, ut olim in Rep. Atheniensi ab aliquo Themistocle, num licebit talem aliquem, vel tales, sine sua culpa, saltem ideò, ne noceant, vel Resp. sibi metuere eos habeat, in exilium

B

expelle-

expellere, vel ipsa etiam vita, aut opibus saltem privare? Ajunt hoc illi, qui regulam juris naturalis constituunt salutem civilem, quæ utique insigniter in tuto est, si neminem habeat, quem timeat. Sicut *Geometra*, ut ait Plutarchus, *αὐτήματα* quædam habent, sic *Regum αἴτημα* est, ut sua securitatis causa quemvis sibi liceat interficere. verba sunt Grotii annot. ad 2. Sam. XVII, 3. p. 256. Exemplo rem declaravit Herodes, qui omnes pueros Bethlehemiticos curavit occidendos, postquam audivisset, inter ipsos natum esse regem Judæorum, Matth. II, 16. Hinc quoque accenduntur interdum bella adversus eos, quorum nobis formidolosa est potentia, cuduntur fœdera cum infirmioribus, ut junctis viribus eminentiorum vis sistatur & frangatur: quantum inde sanguinis funditur, & cædium committitur! sed rectè scilicet illud, quia per talem venæ sectionem Resp. convalescit. Alium damus casum. Sit homo Reip. noxius, ut non parum damno levaretur ista, si è medio fuisset sublatus, licuerit igitur vel ipsi homini violentas sibi manus inferre, ut Resp. incolumis sit?

§. 14. *Conjugium* divinitus institutum est pro omnibus, qui sibi continere non possunt, ita tamen, ut duæ tantum, non plures simul personæ in fœdus istud coëant, eæque certo sanguinis gradu distantes, liberos generent & educant, quo quidem fine interdum frustrantur, ea tamen propter non separentur ab invicem, sibi jungant alias aliosve, qui istum fructum præstare possint. Excepto uno inhabilitatis, matrimonium antegressæ, casu, Gen. II, 18. 23. 24. Matth. XIX, 3. seqq. Ponamus jam id esse juris naturæ quod Reip. conducit, conducit autem eam repleti hominibus, qui œconomia curam gerant, arma tractent, hostes arceant, mercimonia exerceant; Repletur autem, si unus vir plures sibi uxores jungat, ex quibus plures subinde liberos suscipiat, & hi quoque sese multiplicent, & ipsi *πολυγαμίας* beneficio; Anne igitur licuerit *πολυγαμείν*? Porro, sit sterilis uxor, ut nulla sit spes prolis, vel rarior in pariendo; hæc ne propterea repudianda fuerit, quia Remp. non auget, & ducenda alia, quæ fœcunda? Ponamus & hunc casum: sit Princeps, qui juncta sibi per matrimonium consanguinea multum juvare posset Remp. dum per matrimonium tale acquireret sibi copiosam pecuniam, ditionum plurimum, confœderatos potentes; Num verò id ipsi licuerit? Utrique si regula juris fuerit, quod Rei prodest publicæ.

§. 15.

§. 15. Voluit Deus suas cuique proprias esse, sive majores sive minores opes, nec, nisi justo multæ titulo, auferri. Sit autem Reip. res angusta domi, ut pecunia egeat, nervo belli & rerum gerendarum, licueritne propterea alteri, qui juris nostri non est, opes suas per vim, sive per artem, eripere, aut quocunque modo pecuniam facere? Absit ea à Christianis vis, & iniquitas. Teneatur equidem, in extremo necessitatis casu, quisque civium & subditorum de suo contribuere, quantum ullo modo potest; Potest etiam Magistratus pro sua auctoritate refractarios cogere, ut officium faciant. 1. Sam. VIII, II. seqq. Id verò isti tenentur, & hic potest, quia Deus in verbo suo id ipsum definivit, in gratiam quidem Reip. quæ nisi hoc medio, pessumverit, jure tamen supremæ suæ potestatis, quam obtinet in hominum facultates, & providentiæ, quæ salutem publicam hoc modo voluit conservare, & promovere. Ultra hos limites, quicunque progressus, pecuniam comparare allaborarit, etiam in summo Reip. discrimine, non bene facit, nec Remp. juvabit, sed potius ea sua injustitia pessundabit.

§. 16. Sanctissima debet esse vis juramentorum, imò fides esse debet in omnibus, & verbis, & gestibus, quibus animi sensa produntur. Accidat autem casus, in quo commodum Reip. promovere videamur, si falso aliquo vel verbo, vel signo utamur, aut etiam pejeremus; quid faciendum fuerit? Cæsar aliquis dixerit, licere regni gratia jus violare, in cæteris, & non spectantibus justitiam, colere, idque bene dixerit, suffragatore Lipsio Lib. IV. Polit. c. 13. 14. 15. notato ea propter à Conring, præfat. ad Machiav. Princ. p. 28. Et ipso Conringio ad c. XV. Mach. *Fatendum, etiam quæ injusta, atque inhonesta sunt interdum ad imperiorum conservationem facere: si quæcunque utilitas Reip. fuerit regula juris naturalis.* Hoc verò vel ipsis Ciceronianis officiis adversatur, quanto magis verbo ejus, qui ipsa est veritas, & mendacium quodlibet vetuit. Psal. V, 7. XV, 3. Proverb. VI, 19. XXX, 8. Ephes. IV, 25.

§. 17. Ex præmissis apparet, quo absurditatis redigantur illi Christianorum, qui neglecto verbo divino unice ad id respiciunt, quod ad speciem Reip. prodest, putantes, id demum esse juris naturæ, & observandum in Rep. administranda, quod ad societatis mundanæ, vel utilitatem, vel necessitatem spectat. Vicerint tandem

Galliones, qui, quando res Religionis ad suum tribunal devolvitur, eam alio remittant, censentes, id demum sui fori esse, quod concernat ἀδίκημά τι ἢ παράνομον ποινῶν; Act. XII, 14. Triumphent Weigeli, qui lumen naturæ lumini scripturæ exæquant: Es ist das angebörne Liecht in einem jeden / daraus alle Erkantnus stießet / und ist in uns allen / wer in diesem Liecht wandelt / der fählt nicht zc. Dann eben das Liecht/welches in uns (Lex naturæ: was ihr wolt/das euch die Leute thun sollen zc.) lehret auch das Gesetz und die Propheten / wer diesem angebörnen Liecht folget / der bleibt im Gesetz Gottes / und in allem dem/das die Propheten lehren zc. sic Weigel, part. II. postil. p. 184. Castigatus propterea à Dn. D. Thummio in Imp. Weigelian. p. 108. er. 51. Ipsi tandem Epicurei, & Atheistæ habebunt, quod sibi gratulentur, tanquam omnia opinione, & judicio hominum æstimanda sint.

§. 18. Ut specialius præmissa evolventur, enucleatius de officio hominis, juxta ductum Decalogi, disseramus. Sit igitur assertio III. *Religio & cultus publicus instituendus est non secundum rationem status & utilitatem, quæ videtur, politicam, sed juxta normam verbi divini.* Duo dicimus, prius, quæ non sit norma, vel principium cultus publici, & quæ sit. Negamus normam esse utilitatem externam, & politicam; Affirmamus autem, verbum Dei in scripturis revelatum eo officio fungi. Ne autem calumnia verbis nostris insultet, utilitatem & ejus officium distinguimus, & ulterius explicamus. Utilitas alia est vera, alia apprensiva; quam distinctionem supra §. 4. dedimus. Repetimus, quod de vera illa h. l. nobis quæstio non sit, sed de apparente; deinde, si omnino veram quis intelligeret, & nos admitteremus, esse aliquem ipsius respectum in religione adornanda, eum tamen non nisi secundarium concederemus. Finis enim omnium actionum christianarum duplex est, vel esse debet, alter principalis, qui est gloria Dei, alter minus principalis, qui est salus nostra; hæc iterum suos habet gradus; Alia enim est salus animæ, alia corporis; ista huic præferenda est. Pendet autem ista ex fide salvifica, & hæc ex verbo Dei, quod amplectitur & sequitur. Prius igitur in religione amplectenda, & adornanda respiciendum est ad gloriam divinam, & post hanc, ad salutem animarum, an per eam religionem utrumque obtineri possit; quo facto, tum demum utilitati quoque corporis, civili, & politicæ, consulendum est, cui hoc ipso consulitur.

Si

Si Deo & animabus nostris, suam isti gloriam, huic salutem dederimus. Præceptum & promissum Christi notum est: Quærite primum regnum Dei, ejusque justitiam, tum demum reliqua adjicientur Vobis. Idque ipsum est, quod quotidie in oratione Dominica oramus.

§. 19. Assertio IV. *Magistratui politico, & omni potestati divinitus ordinata, debetur honos & obsequium, & fides, primario non ideò, quod salutem publicam externam promovet, sed quia est potestas divinitus ordinata, & vices Dei gerit in terris, qui propterea ipsum vult in pretio haberi.* Magistratus politicus spectatur vel in sese, vel in suis ministris. 1. Petr. II, 13, 14. Utroque respectu consideratur vel secundum suam potestatem & auctoritatem, quam habet, vel secundum mores, sive privatos, sive publicos. Publicos autem mores voco, qui apparent in administratione officii. Hi sunt vel officio conformes, vel diffformes. Isti sunt, cum officio suo fungitur, sicut Deus & indoles officii postulant; Hi cum secus administrat officium, quam Dei voluntas, & salus civium administrari permittit. Privatos autem mores dico, qui intra domum Magistratus sese continent. His explicatis porro dicimus: *Privati mores Magistratus non sunt principium obligans, & movens subditos ad obsequium Magistratui, sive deferendum, sive denegandum*: e. g. non ideò debeo subjectionem, & obsequium Magistratui, quia ipse est eruditus, temperans, castus, frugalis &c. cum hæc virtutes etiam in privatis inveniuntur, quibus propterea me subicere, subjectione illa politica, non teneor; Neque ideò possum Magistratui, qui alioquin mihi præfectus est, bona conscientia obsequium denegare, quia rudis, intemperans, irreligiosus, superstitiosus est. Hæc enim sunt vitia personæ, non officii, cujus gratia ipsi sum obligatus. Non equidem teneor, sed potius prohibeor, ipsi obsequium præbere in intemperantia, superstitione & aliis vitiis exercendis; ipsi tamen his & similibus vitiis laboranti, sed aliquid non vitiosi mihi imperanti, teneor obedientiam deferre. *Atque hoc teneor etiam quando publici ejus mores sunt corrupti.* Sit Magistratus aliquis tyrannus, qui subditos suos premat iniquis exactionibus, vexet angariis immodicis; aut negligat commodum publicum præ otio, crapula, libidine; Hæc & similia vitia non liberant subditum à nexu, quo Domino suo legitimo obstrictus est. Ratio negationis est, quod Deus Magistratui nos subesse voluit non præcisè ideò, quatenus sua potestate legiti-

mè utitur, & fructuosè, sed quatenus suus iste minister est, & quasi Vicarius in terris. Probatum ex Rom. XIII, 1. seqq. quo in loco vult Apostolus unum quemque deferre obsequium, & debere subjectionem Magistratui, sub cuius ipse potestate est: Rationem autem hujus præcepti quamnam subjungit? Hanc, quòd non sit ullus Magistratus, qui à Deo non sit ordinatus. Dependens igitur Magistratus politici à Deo est primum movens. Non dicit Apostolus, quisque sit subditus Magistratui, quia egregiis virtutibus qua publicis, qua privatis est instructus, & cives suos reddit divites, potentes, felices & tranquillos, quasi hæc ratio obsequii & subjectionis esset, sed quia est potestas eminens, constituta divinitus; adeoque ἐξουσίαν potestatem habet, eamque non ab hominibus, etsi persona ab hominibus sit electa, sed à Deo, qui hunc ordinem instituit: Ut adeò Deo ipsi resistat, quisquis restiterit tali Magistratui à Deo potestatem suam habenti, ut ut alias moribus & administratione vitioso. Atque hoc Petrus quoque 1. cap. II, 13. 14. 15. vult, quando vult humanis nos ordinationibus subjectos propter Dominum, qui hoc vult; & cuius interest, ut, qui suum characterem habet, religiosè suspiciatur: Non autem primariò, quod isti nostri Domini sunt clementes; nam & σχολαίῳ distortis, i. e. non bonis, neque æquis, servos vult subordinari.

§. 20. Assertio V. *Cædes hominis patranda à Magistratu est, non primariò ob salutem & necessitatem Reip. sed ob delictum aliquod ipsius, quod juxta verbum Dei, vel saltem ipso non refragante, meretur mortem.* Volumus ante omnia verba nostra intelligi de cæde, quæ fit auctoritate publica; adeoque de ea multo magis, quæ fit privata. Neutra est imperanda, vel facienda, nisi ista, eaque ob justam causam. Hanc dicimus unicam esse delictum capitale. Capitale autem an sit vitium æstimandum unicè ex verbo Dei est, diversimode tamen. Vel enim in verbo Dei, expressè legitur, quod hoc vel istud delictum sit capitale; vel exinde per bonam consequentiam derivatur. e. g. Homicidæ sunt capite plectendi, quia verbum Dei expressit hoc supplicium. Gen. XI. Fures etiam capitali supplicio possunt affici, quod quidem in verbo Dei toridem verbis non legitur, ex analogia tamen aliorum delictorum & suppliciorum colligitur: Saltem scriptura huic supplicio non refragatur, quo in casu, quando Scriptura supplicium non determinat, licet Magistratui necessitatem & utilitatem publi-

cam

cam in consilium quasi adhibere, quo pœnæ, vel supplicii gene-
 re delictum puniendum sit. Semper igitur meritum mortis manet
 aliquod delictum, extra quod nulla cædes, ne Magistratui quidem,
 licita est. Quare si accidat ex unius hominis innocentis cæde sive
 patrata, sive procurata, sive permessa, ubi prohibere potuisses, vel de-
 buisses, salutem publicam pendere, saltem quoad opinionem homi-
 num, non tamen licet istam vel permittere, vel procurare, multo mi-
 nus perpetrare. Non potuit M. Curtius in abyssum lethalem sese
 præcipitem dare, in gratiam Reip. Romanæ; neque potuit bona
 conscientia Rex Moabitarum filium suum mactare pro salute Reip.
 in summum discrimen adductæ; neque potuit Joab Abnerem, aut
 Amasam bona conscientia è medio tollere, etiamsi ex ipsorum cæde
 salus regni Davidici pependisset, ratio, quia nullum delictum morte
 dignum admiserant. Addimus & hoc, si quis omnino mortem sce-
 leribus suis meruisset, non tamen licet eam ipsi irrogare scelere
 aliquo interveniente. Meruerit e.g. Sichem stuprator Dinæ supplicium
 capitale, derivavit idem eandem pœnam in parentem, & subditos,
 non tamen licuit Filiis Jacobi circumcisionem istis ideò persuade-
 re, ut inutiles ad restituendum, contra datam fidem, trucidarent.
 Id quod Jacobus ipsorum pater innuit, cum maledictione ipsorum
 furorem & perfidiam percussit, Gen. XXXIV, 2. seqq. XLIX, 5. seqq.
 Meruit Absolon rebellionis sua, incestu, & aliis flagitiis, capite plecti,
 non tamen licuit Joabo Regis ministro, contra Domini interdictum
 rebellem istum confodere, quia decet dicto Magistratus supremi
 audientem esse 2. Sam. XII, 12. seqq. etiam tum, cum contrarium
 factum videtur Reip. utilis esse. Vice versa, non licet parcere son-
 ti, cujus delictum jure divino capitale est, etiamsi respublica vi-
 deatur damnum acceptura, vel periculum subitura ex ipsius cæde,
 aut contra commodis fruitura, ubi parcitum ipsi fuerit. Loquor
 autem de iis delinquentibus, qui magistratui alicui subsunt; Ubi
 enim ipse summus Magistratus delictum tale commisit, non licet
 subditis ipsius, vel aliis, quorum potestati de jure subjectus non est,
 supplicium alias meritissimum, ipsi irrogare. Prioris ratio est vo-
 luntas Dei, qui supremus est vitæ & necis arbiter, Magistratus autem
 ipsius minister, cujus non est dispensare ex propria auctoritate.
 Rom. XIII, 4. Confer 1. Sam. XV, 3. seqq. 1. Reg. XX, 42. Posterioris
 ratio-

rationem reddit religiosus David 1.Sam.XXIV, 5.6.7.11.XXVI, 9.11.
2.Sam. I, 14.

§. 21. Assertio VI. *Legitimus conjugii, sive ineundi, sive gerendi, vel coelibatus usus, judicandus est non ex necessitate, & utilitate politica, & externa; sed ex legibus in verbo Dei praescriptis.* Sunt, quibus Deus heroicum continentiae donum largitus est; ut etiam adultiores facti, non sentiant vehementiores concupiscentiae, erga sequiorem sexum, impetus, his liberum est, sive intra, sive extra matrimonium vivere; praestat tamen extra istud versari, si per ipsorum coelibatum, res sive domestica, sive publica juvari possit. Hoc sine illustris e. g. persona potest sibi abstinere à conjugio, ne porro excrescat familia, & opes, in multas particulas divisae, tandem in nihilum redigantur: Potest princeps, caeteris paribus, sibi temperare à secundis nuptiis, ne porro sobolem generando subditos exhauriat opibus, pro sobole alenda contribuendis; At non licet sese subducere matrimonio legitimo, quando donum continentiae abest, & à sobole generanda, & honestè educanda ideò solum, ne Resp. gravetur, aut posterius deterioris, quam majores, sint conditionis. Majoris enim fieri debet praecipuum divinum 1. Cor. VII, 1. 2. & seqq. quando Apostolus à Deo impulsus, melius quidem judicat esse homini, qui continentiae dono praeditus est, mulierem non tangere, attamen, si periculum subit scortationis, quod subest, absente continentiae dono, tum verò censet praestare conjugium, ut istud periculum evitetur, & æstus concupiscentiae sancto remedio sedetur. *Sciendum est, ait Lutherus, Catech. maj. praecip. VI. p. 456. hunc ordinem non solum esse honestum, sed necessarium etiam, neque non serio à Deo praecipuum, ut in genere omnes status ac ordines, cum viri, tum mulieres, quicumque ad hunc amplectendum natura sunt apposti, in eo versentur, exceptis nonnullis, licet perpauca, quos Deus singulari quodam consilio segregavit, ut ad jugum matrimonii minus reperiantur idonei, aut sublimi ac supernaturali gratia ea libertate donavit, quo possint extra hunc ordinem, servata vitae pudicitia, castitatem tueri. Ubi enim natura, quemadmodum à Deo nobis insita est, fertur ac rapitur, fieri nullo modo potest, ut extra matrimonium castè vivatur. Siquidem caro & sanguis naturam suam immutare non potest, ac naturalis ille appetitus & carnis inclinatio consuetum iter, nulla re obstante, aut prohibente, sequitur, id quod omnibus liquet hominibus. Quare ut aliquatenus libido carnis caveri posset, Deus matrimonium instituit, ut quisque sua parte legitime destinata*

destinata fruatur, illaq; contentus vivat, tametsi hic quoque gratia Dei opus est, ut cor quoque castum sit. In Conjugio res ex eadem regula judicanda venit, juxta Dei verbum, quo multis modis exornatus & sanctificatus est (Conjugii status) eum intueamur: suadente Lutero in Catech. maj. præc. VI. p. 455. Magnum est Reip. commodum, si viris & viribus valeat, sed cave ex hoc commodo præcipuè æstimes id, quod in conjugio, vel liberorum procreatione juris & æqui est. Jussit Deus uni solum personæ jungi, vel jungere sese, nō pluribus simul; hoc observandum est in matrimonio cōtrahendo; Idem jussit indiviso nexu hæere junctæ, donec alterutra moriatur, aut adulterium, malitiosave desertio interveniat: Huic mandato sanctè deferendum est. Quare etiamsi ex plurium uxorum, vel concubinarum consortio plures nascerentur liberi, adeoque Resp. viris impleretur, & per hos viribus, non tamen licebit polygamiam vel promiscuam venerem in Remp. admittere, aut usurpare, nisi velimus spuris ipsam adimplere. Improbamus igitur illud Michalonis Lituani, quod habetur in libro ipsius de moribus Tartarorum p. 27. *Idem repleturi incolis terram, quæ ad inhabitandum creata dicitur, & genus humanum ad laudem Domini propagaturi: præterea cū non omnis mulier fœcunda sit, nec quolibet mensis tempore attingenda à viro, neque semper ad concipiendum apta, & concepto semel fœtu, non sit interim cognoscenda, quippe cū prolis gratia, non libidinis, accipiatur uxor, & unico congressu concipiat fœtum interdum non unicum, ut patet in Thamar & Rebecca: propterea, inquam, Tartari tantum seminis virilis vigorem considerantes, neve illud præter opportunitatem effundatur caventes: sequuti ducem naturam, atque laudabilem hominum priscorum, de quibus in Bibliis, consuetudinem, plures simul singuli uxores habent. Ex quibus conjugis vires contra nos majores acquirunt, numerosas filiorum & affinium copias consequuntur, & uxores, quanto plures, tanto sui amantiore habent, faustisq; fruuntur matrimoniis, nec sponsarum magnas dotes querunt, nec formas, nec inclytas familias, adeò, ut summi principes ex captivis emptitiis conjuges sumant.*

Ceterum nostri contra morem priscorum, sanctorumque hominum, & bel-luarum naturam, honor sit piis auribus, nonnunquam plures ad unam accedunt fœminam, nullum hinc, nec prolis, nec affinitatis, neque ullius amicitie fructum sperantes, nec Deum verentes, dotes querunt, formas spectant, quibus sibi fœminæ obligant & devinciunt viros, superbiores fiunt, & id student, ut non tam integræ, quàm pecuniose & formosæ habeantur, etsi fictis nonnunquam pecuniis, pictis faciebus, id

C

quod

quod latius in populo nostro patere coepit, postquam nobis promulgata est Lex. Stat. Lit. dist. 4. artic. 7. concedens pro dote mulieribus certas hereditatum partes, unde insolentes facta, subinde virtutem negligunt, tutoribus, parentibus, maritis immorigeræ sunt, & viventibus immaturam machinantur mortem; hæc multitudo uxorum facit, ut vicini nostri Tartari Precopenses toties à nobis ad internecionem cæsi, rursum repullulascent. nec ita pridem in copiis Oslam Soltan fuerunt collectanei ejus cujusdam Omeldes. 40. filii simul, robusti uno anno & mense fortassis, ex uxoribus & pellicibus earum procreati, quæ cohors 40. fratrum germanorum conspicua fuit, & hîc apud fluvium Vaka villa Tartarorum frequens est, antiquitus 40. Tartarorum, id est, fratrum appellata. Neque etiam licet sterilem conjugem repudiare, etiam etiam stirps cum ipsa exspiraret, aut nulli in regno hæredes relinquerentur: Multo minus licet alium adsciscere fœcundiorum, qui mariti partes expleat.

§. 22. Assertio VII. *Opes & facultates in gratiam Reip. acquirere quidem licet, & usurpare, intentio tamen, & media modusq; acquirendi non debent à verbo Dei abhorreere.* Jussit Deus in sudore vultus sui quemque suum lucrari panem, Gen. III, 17. 18. adeoq; legitimis mediis ipsum alligavit, furtum autem prohibuit. Eadem ille media priori decalogi tabulæ subordinavit, ut non sint legitima, si verbo fidei, charitati, timori, cultui & gloriæ divinæ repugnant. Probatum ex petitione quarta orationis Dominicæ: In hac enim petimus panem nostrum quotidianum nobis dari, & eum à Patre cœlesti, pro cuius nominis sanctificatione, regni adventu, & voluntatis adimpletione, initio preces fudimus, innuentes, quod Deus, tum demum nobis det panem, si media in verbo ipsius præscripta observaverimus, & voluntatem fecerimus. Absit igitur, ut panem quæramus ex admisione verbi divinitus non revelati, aut imperati, sed prohibiti; vel ex Ecclesiæ veræ decremento aut falsæ incremento & fomento, vel ex malis artibus, ut sunt simulationes & dissimulationes, doli, mendacia, perjuriam, rapinæ, cædes; Maledictionem patris in sese concitarunt Simeon & Levi, quod sanctissimo circumcisionis sacramento abusi irruissent in Sichemitas, eorumque facultates diripiissent. Quidquid panum. i. e. opum his artibus & mediis acquiritur, inter maledicta habendum est, quæ suo tempore etiam inter homines dissipantur, vide Conring animadv. ad c. XV. Mach. §. VI. In specie quod Lutherus habet Catech. maj. p. 463. *In Deo tamen fiduciam nostram habebimus,*

bebimus, alioqui etiam hoc ipsum facturo, ut ea benedictione, ubi diu multumq;
 alios degluberis, neque parum boni corraseris, tuas opes prosperet, ut frumentum
 tuum in horreo, cerevisia tua in cellario, pecus tuum in stabulo pereat: imò potius,
 ubi proximum tuum vel aureo defraudaveris, tu de tota summa ac sorte percli-
 tans in dubium venias, ut ita absumpta & ablata evanescat, etiam cum pulvisculo,
 ut nunquam ullam ex ea voluptatem capias.

Hoc verum esse, equidem quotidianis experimentis discimus, nullam rem aut
 furto, aut fraude paratam possessori lucro esse. Quot enim esse putas, qui diu
 noctuq; corradendis & cumulandis opibus se excruciant, qui tamen ne teruntio
 quidem ditiores evadunt? Et quanquam multum cumulent: tot tamen plagis &
 calamitatibus affecti sunt, ut cum voluptate ac gaudio rebus partis frui nequeant,
 neque liberis suis eam hereditatem relinquunt. Vapulat igitur mos Lace-
 dæmoniorum, quando suis civibus furta eduliorum ideò permitte-
 bant, ut fortiores isti evaderent, sua defendentes, vel aliis sua eri-
 pientes. Est enim illa natura vera, & nulli non cognita vox: Neminem esse
 ledendum: ad quam non obsurduerant ipsi, quod fieri non potest, cum ea vox unius-
 cujusque nostrum aures assidue feriat: sed privati injuriis utilitatem publicam
 præferentes, ad hanc tuendam fortiores fore cives suos diligentioresq; putaverunt. Sè-
 tum rebus suis conservandis, tum rapiendis alienis assuescerent. Stulti, qui furto-
 rum consuetudine potius, quam virtutis amore & studio veram ingenerari posse for-
 titudinem hominibus existimaverunt. Verba sunt Connani Comment.
 Jur. Civil. l. i. c. i. §. 5. fol. 3.

§. 23. Assertio VIII. Si fidem dederis, vel juraveris, non licet resili-
 re ex nuda sive spe, sive perceptione utilitatis, quæ videtur in Remp. resultare. Op-
 posita est thesis impiis & perfidis Machiavellistis. Machiavellus de
 princ. c. 18. agit de modo, quo fides à principe sit servanda. Laudat
 equidem in fronte statim istam in principe virtutem, sed in sequen-
 tibus etiam fraudi, perfidiæ atque perjuriis, eundem mancipat.
 Vult eum esse Vulpi similem; Et Alexandro VI. Papæ, qui nihil quàm
 hominum deceptorem egit, nihil quàm ad omnem malitiam & fraudem (quo ho-
 minum genus falleret) mentem suam exercuit. Nemo in asseverando quid magis
 fuit efficax, nemo majore jurejurando aliquid affirmavit & minus præstitit. Nihil
 secius doli nunquam non commodè ei cesserunt, quia fallendi artem & hosce mores
 hominum probè callebat.

Concludit: Proinde non est, quod princeps omnes superius descriptas vir-
 tutes habeat: necessarium verò est apparere, quasi habeat. Imò ausim dicere,

semper noxium esse, si princeps illis sit præditus & illos observet; utile verò, si princeps simulet se illas possidere, ut simulet pietatem, fidem, humanitatem, religionem, integritatem; modo animus ita compositus sit, ut, si opus, possit in contrarium mutare. Sciendum sanè Principem novum, non posse observare omnia illa, ob quæ homines creduntur boni; quoniam sæpius cogitur agere contra humanitatem, contra caritatem, contra religionem, ut statum conservet. Quocirca ad omnem ventorum & fortunæ conversionem versatile ingenium Princeps habeat, est necesse: & (ut jam dictum est) ab eo, quod bonum est, ne discedat, at si necessitas urgeat, edoctus sit & malum avertere. Hæc ille satis leviter & impiè. Nobis contrarium placet in assertionem. Fundamentum assertionis est sanctitas nominis divini, sub qua fidem damus, vel juramentum præstamus. Exod. XX, 7. juramenti legitimè præstiti homo non solum suo sese proximo, sed etiam Deo obligat, ut hoc invito à fide data recedere non possit; Matth. V, 33. Christus expressis verbis perjurium prohibet, ratione addita, quod juramentum Deo sit factum; cui id ipsum quoque præstandum & servandum sit. Quamdiu igitur manet ratio, sub qua juravimus, nempe Sanctitas & metus Numinis divini, tamdiu etiam obligatio jurantis manet. Jos. IX, 18. perspicuum huius rei exemplum habemus. Juraverat Josua & proceres populi Gibeonitis per legatos fœdus cum Israëlitis percutientibus; accidit autem, ut invenirentur esse de Cananæis vicinis, quos Deus voluerat extinguendos: Igitur erant, qui putarent, insuper habito juramento, occidendos esse, idque è re Israëlitarum maximè fuisset, sed noluit Josua hoc vel facere, vel admittere, ratione allegata, quod jurasset securitatem per nomen Dei sanctissimum. Nomen igitur Dei, non utilitas publica, erat ratio servandi juramenti. Interea autem ex eodem facto observamus, quod cum heterodoxis & impiis manifestis non debeamus fœdera inire amicitiae mutuae, solum idè, ut aliquid inde utilitatis politicæ ad Remp. redundet; specialis quidem erat ratio, cur Deus noluerit Israelitas in fœdus & amicitiam descendere cum Cananæis, nempe hæc, quod hi propter enormia flagitia neci à Deo essent destinati, & terra ipsorum Israëlitis assignata; generale tamen illud est, quod à consortio familiariori impiorum abstinere debeamus, quantum in nobis est, quia generalis est ratio, ne seducamur ab ipsis, aut malis ipsorum annuamus.

§. 24. Assertio IX. *Non licet hostibus ansam peccandi prabere, ut peccando exitium sibi attrahant, nos verò à metu sui, periculis, & armis, & persecutionibus liberent.* Versipellis nebulo Bileam, ut Israelitæ perirent, dedit consilium suis, ut Israelitas ad idololatriam, & scortationes pellicerent; sic enim Deum ipsis succensurum esse graviter, eosdemque perditurum, quod & factum. Cœperant enim Israëlita à Midianitis pellecti, colere Baalem Phegor, & scortari cum filiabus hostium, quo scelere adeò Deus est exacerbatus, ut multa ipsorum millia perierint. Num. XXV, 1. seq. XXX, 16. Apoc. II, 14. Josephus lib. III. antiqq. Judaic. c. 6. p. m. 99. consilium nebulonis istius his verbis retulit: *Filiarum formosissimas, quæ pulchritudine sua mentes eorum expugnare possint, quantum fieri potest, cultas ac ornatas mittite, ut circum castra obversentur, & juvenibus complexus expetentibus faciles se præbeant: ubi verò cupidine captos viderint, subito se proripiant, cumq; rogata fuerint, ut maneat, non annuant, nisi persuasis, ut relictis patriis legibus & cultu Dei, à quo illas acceperunt, Madianitarum & Moabitarum Deos venerentur, sic enim Deum iratum sibi reddent.* Fecerant Midianitæ, quod iste suaserat, & persuaserunt Israëlitis apostasiam post scortationem. P. 100. pergit referendo historicus: *At illi cupidine cæci dicta earum comprobant, & quo trahebantur sequentes à religione patrum desciscunt; & plures Deos credere inducti, sacra illis ejus gentis ritu faciunt: cibus quoque indifferenter utebantur, & in mulierum gratiam nihil non contra legem faciebant, ut jam tota castra juvenum impietas invaderet, & seditio priore pejor glisceret, & avita religio in extremum periculum deduceretur. Juventus enim, gustatis semel peregrinis moribus, inexplebiliter in eos ferebatur, & si qui nobilitate à majoribus accepta præcellerant, una cum reliqua turba corrumpebantur.* Bene ne hoc suaserat Bileamus, & fecerunt Midianitæ? Absit, Deus enim seductrices propterea jussit internecone deleri. In seductos quoque severissime animadvertit. Sic enim post scripturam Josephus l. c. narrat p. 101. de Phinee prius: *Ad Zambriæ tentorium vadit, & eodem ictu ipsum unà cum Chosby transfigit: quo exemplo juventus ad pulcherrimam virtutis emulationem accensa, certatim in ejusdem criminis reos facit impetum, & bonam illorum partem ferro conficit, reliquos infecuta pestis sustulit, per iram Numinis inflicta, & ne illis quidem pepercit, qui, cum jure cognationis talem suorum petulantiam cohibere deberent, aut dissimulare aut accendere etiam maluerunt: nec prius destitit, quàm quatuordecim millia virorum desiderarentur.* Posterius de Mose. *Hanc obrem Moses in Madianitas concitus, ad*



gentem internecione delendam exercitum misit, de qua expeditione mox narrabimus, postquam, quod ommissum antè non oportuit, dixerimus, Balamum illum, qui à Madianitis accitus ad execrandos Hebræos, quo minus hoc faceret à Deo est prohibitus, nihilo secius tamen tale hostibus consilium dedit, quo effectum est, ut quibusdam infectis prava opinione, penè totius populi religio sit corrupta; hunc, inquam, Balamum tanto honore dignatus est propheta, ut oracula ejus suis literis inseruerit: cumq; nihil vetaret, quin ea pro suis ederet, nec ullo teste id factum ejus coargui posset, maluit eum debita apud posteros memoria non fraudare. Sed hæc quisque ut libuerit ita consideret. Moses autem, ut dicere cœperam, in Madianitas misit exercitum duodecim millium, singulis tribubus mille militibus imperatis: eisq; copiis Pinehem præfecit, cujus opera leges vindicatas, & de Zambria violatore earum pœnas exactas paulò antè memoravimus. Hæc scilicet erat ea insignis utilitas, quam impius consiliarius Bileamus reip. suæ intulit. Simile exemplum legimus apud Herodotum, de Cyro, qui Lydos à sese subactos, cum antea bellicosi fuissent, luxui assuefecit, ut effæminati in potestate sua manerent; sed ipse tandem hujus suæ politicæ pœnas dedit Tomyridi; Nam relicto vino & hæc exercitum ipsius soporavit, & ducem ipsum interfecit. Licet equidem in sui suæque Reip. usum uti peccatis hostium; Nam & Deus utitur peccatis ad sui gloriam, & Ecclesiæ salutem; sed non licet hostibus ansam peccandi dare, eamque eo fine, ut in nostrum commodum cedant. Simplex est prohibitio & sine exceptione data à Deo adversus peccata, ut ea sub nullo prætextu vel committere liceat, vel, ut alii committant, ullo modo, sive directè, sive indirectè procurare. Neque enim cæco scandalum ponendum est, Lev. XIX, 14. Impium igitur fuit, quod Machiavellus libro suo de Principe intendisse fertur à Jacobo Gaddo Florentino; Scripsit (inquit hic) Machiavellus & de principe librum: qui illi ingentem constavit invidiam, ut multi eum male de Deo sensisse, ex ejus præceptis arguant. Sed juvat commemorare, quid ipse responderit se eo nomine arguentibus. Idè enim impiis præceptis à se imbutos Principes affirmavit, ut qui tum Italiam tyrannicè vexabant, sua institutione deteriores, eo celerius scelerum suorum pœnas penderent. Fore enim, ut, cum se penitus vitius immerisissent, statim meritam Numinis iram experirentur. vid. Conring. In Machiav. p. 39 præfat.

§. 25. Excipias: Assertiones has confirmare potius tuam de utilitate publica sententiam, quàm evertere: Utile enim esse Reip. si juxta

si juxta normam verbi divini cultus & religio instituat; utile, si propter characterem divinum Magistratus etiam malus sacrosanctus habeatur; Utile, si fontes solum, & quidem à Magistratu legitimo modo & medio puniantur; Utile, si conjugia sanctè habeantur; Utile, si justitia in acquirendis opibus observetur; Utile, si fides religiosè observetur & præstetur, Utile, si à peccatis quibusvis absteineamus: Nam hac ratione in Remp. derivari benedictionem divinam, etiam in bonis temporalibus, constantiam apud alios & admirationem, imò reverentiam mereri Remp. apud alios, tranquillo statu uti Remp. virtutes foveri, quæ sint fundamentum salutis publicæ, arceri verò vitia, ejusdem pestem; pudicis & parentum observatoribus remp. repleri civibus, cum rarò is sit spuriorum in parentes affectus, sua quemque quiete possidere, nec rixis vel odiis cives collidi invicem: invitari alios ad amicitiam nobiscum, & fœdera, Reip. munimina, pangenda; Ipsos denique hostes virtute nobis conciliari. Manere igitur id ipsum, quod semel jactum, utilitatem publicam esse regulam, juxta quam judicandum sit de jure naturæ, quid agendum vel omittendum.

§. 26. Resp. I. Suo se gladio jugulant Statistæ. Fatentur, isthac, quæ in assertionibus præmisimus, esse de rebus Reip. vel utilibus, vel inutilibus, & quidem *ὄντως* talibus. Et tamen negare non possunt, contraria ipsorum ab ipsismet illis Politicæstris interdum saltem haberi pro utilibus vel inutilibus. e. g. veræ religioni contraria est falsa, & patrocinio istius adversatur patrocinium hujus, salutem Reip. conducit religio vera, & ejus patrocinium, nocet autem falsa, & ejus receptio, vel patrocinium arbitrarium, & tamen pecuniæ faciendæ, vel amicitia impetrandæ, vel potentia augendæ gratia religio vera, ejusque patrocinium omittitur, vel certè falsa quoque recipitur, & fovetur; Taceo, quod natura ne quidem sciat, quæ vera religio sit: Item quod Magistratus Dei loco sit constitutus ab ipso Deo, quippe quem putat magis ex necessitate, quam divinitus natum; (II.) Fassi sumus antea, utilitatem veram promoveri, id esse juris naturæ & gentium, sed negavimus, naturam ubi vis dictitare, quod utile sit revera & constanter? Utile putet religionem veram fovere, quamdiu Resp. in tranquillo statu est; sin autem ea propter turbetur, vel in periculum adducatur, quod jactura religionis hæctenus receptæ, averti possit, annon cogitur sua scil. natura

tura

turæ lege religionem veram abjicere, ut Resp. servetur? Perinde se res habet in reliquis objectionibus, de Magistratu colendo, cæde vitanda, polygamia & stupris, & divortii detestandis, fide servanda, honestate colenda, quamdiu ea è re Reip. fuerint; sin è re huius magis fuerit contrarium facere, tum demum jure naturæ non obligari, ut id perpetremus.

§. 27. Paucis videamus objectiones, quæ ab Adversariis moventur vel moveri possent, in compendio tamen; Nam brevitati studemus. I. Per hanc doctrinam negari lumen naturæ, & relinqui solum lumen scripturæ. II. Gentiles fore excusatos propter enormia quædam delicta, utpote destitutos lumine Scripturæ, &, per nos, etiam naturæ, quod non sit regula judicandi de agendis, Deumque ipsum alicuius injustitiæ insimulari, utpote qui istos puniverit propter delicta ista, quæ tamen propriè nulla fuerint, lege nulla ea vetante. III. Neminem nisi Scripturis sacris illuminatum, in conscientia convictum esse, quod præfectis sit obediendum, à cæde abstinendum, adulterium fugiendum, & quæ porro ex lumine naturæ nota sunt. IV. Politicam nullam fore, utpote conflata ex præceptis meris pro utilitate publica pugnantibus, iisque ad imitationem Dei, qui omnia ad salutem & utilitatem creavit.

§. 28. Resp. ad I. Ludit fallacia à dicto secundum Quid ad dictum simpliciter; N. C. lumen naturæ secundum utilitatem publicam non potest tuto & adæquatè judicare de officio hominis, vel Reip. E. prorsus nullum est. Est utique aliquod lumen naturæ, dicitur etiam idem homini, quædam agenda vel omittenda, sed imperfectè & inadæquatè, & non præcisè ideò, quod ista sint utilia in vulgus, sed quia congruunt rectæ rationi, & honestati impressæ. Subordinatum est lumen naturæ lumini scripturæ, tanquam obscurius clariori, imperfectius perfectiori, mensuratum mensuræ. Ad II. Gentilibus perindè ut Christianis concreata erat imago divina, cujus gratia debitores sunt justitiæ ex asse præstandæ & inexcusabiles, si quid in ipsam impingant, etiamsi ne scintillula quidem luminis naturalis mansisset reliqua. Reliquum tamen aliquid mansit, etsi tenue, & hoc ipsis sufficiebat, ut aliquo saltem modo, veluti per rimam, viderent agenda, & omittenda, & desiderium caperent ulterius inquirendi in Ecclesiam, quæ uberius talia declararet. Hoc quia

quia facere neglexerunt, & contra istud naturæ dictamen qualecunque, fecerunt peccata, justam Dei iram sibi attraxerunt. Ad III. Disting. Inter præcepta naturalia ista generalia & specialiora. Natura magistra conscientia utique convicta sunt de enumeratis istis, & similibus, non tamen sufficiunt sibi in specialioribus casibus, quando utilitas cum honestate pugnare videtur, hic hærent intricata, & nisi verbum Dei expediat, extricare sese nequeunt. Ad IV. Politice vera tradit quidem præcepta utilitatis; sed veræ; Nam semper præsupponit honorem divinum, & honestatis: Et execrabilis foret politica, ut est Machiavellistica, quæ ex nuda, quæ videtur, utilitate præcepta conderet, & hanc regulam constitueret agendorum vel omittendorum, insuper habita ratione verbi divini.

§. 29. Refutatâ sententiâ erroneâ, & objectionibus è medio motis, nostram sententiam, de Regula Juris naturæ paucis lineis comprehensam hanc exhibemus. Norma juris naturalis alia est externa, alia interna. Utraque dicitur ratione hominum, quibus id juris latum est. Externa subdividi potest in *Ἀρχέτυπον* & *Ἐκτύπον*; Istam vocamus Deum, hanc verò Dei verbum revelatum, idque vel ore prolatum, vel scriptis expressum. Interna sunt sensa cujusque erga sese, & dialogici, qui in conscientia vel accusant hominem, vel excusant, & defendunt.

§. 30. *Deus, & quidem secundum sua attributa & opera consideratus, est norma ἀρχέτυπος.* Norma ἀρχέτυπος est ea, in qua ultimò subsistitur, ita ut ideam præbeat originalem omnibus sive faciendis, sive fugiendis. Talis norma sunt attributa divina, & ea quidem præcipuè, quæ analogiam quandam virtutis habent moralis, ut sunt: Sanctitas, Bonitas, Misericordia, Justitia, Sapientia, Veritas &c. Secundum hæc Dei attributa oportet esse formatum, quidquid juris naturalis est, eaque est causa, cur aliquod cogitatum vel factum nomine juris naturalis censeatur. Probatum ex natura imaginis divinæ, cujus de reliquiis est lex naturæ. Imago divina erat homini naturalis, quam naturalis ipsi est facultas sentiendi: Et jam post lapsum originale peccatum; quod hætenus contra Pontificios, & Novatores quosdam nostrates asseruerunt; Istius autem imaginis norma ἀρχέτυπος fuit Deus, quoad sanctitatem & justitiam suam Ephes. IV, 24. quare idem Deus per suam sanctitatem & justitiam erit norma etiam reliquiarum

D

rum

rum de imagine ista, nempe juris naturalis. Confirmatur ex una vel altera ratione, quam Deus in suo verbo virtutis exercenda, & vitii fugiendi gratia allegaverit. e.g. Parentes revereri est juris naturalis, hoc verò Deus fundat in sua sanctitate, ut simus sancti, sicut ipse Sanctus est. Lev. XIX, 23. Incestus est contra jus naturæ, & vetitus, quia Deus est Dominus, puta Sanctus c. XVIII, 6. Misereri hominem hominis, naturæ implantatum est, sed à Deo, qui vult nos esse misericordes, sicut ipse misericors est. Luc. VI, 36. Abstinentum est à cæde hominis, sed ultio sumenda est ab eo, qui nulla divinitus licentia impetrata vitam alteri eripuerit, cur hoc? quia Deus hominem ad sui imaginem condidit Gen. IX, 6. quæ constitit in vera justitia & sanctitate Ephes. IV, 24. Optimè proinde Dn. D. Dannh. p. m. Hodof. pag. 465. Phæn. VI. censuit: *Lex naturalis est per se bona, ac idea sanctitatis divina consentanea. adeo ut si vel maximè nunquam lata fuisset, tamen vero judicio videretur obligare.* Unde, non quia Deus voluit, exempli gratia, prohibere idololatriam, sed quia per se digna odio, peccatum est: sic adoramus Deum, non tantum quia ipse voluit, sed & quia Deus est noster: Ita obedientiam debemus Deo, non solum quia Deus id. jussit, adeoque etiam angelo jubenti parem obedientiam deberemus, sed quia res Dei sumus, consequenter ex naturali jure obligati. Unde simul colligitur, quod, & cur jus naturæ sit immutabile, nempe, quia essentia, adeoque & voluntas & attributa divina sunt immutabilia.

§. 31. Vapulant igitur, qui putant, sola opinione & consuetudine gentium aliquid esse sive honestum, sive turpe, sive justum, sive injustum. *μὴ δὲ ἐστὶν οὐτε δίκαιον, ἢ καλόν, ἢ αἰσχρὸν, ἀλλὰ νόμος ἢ ἔθος: nihil esse naturæ justum vel bonum, aut turpe, sed lege solum, puta positiva, & consuetudine.* *ἐνεκα τῆς τῆς ἀφρόνων σωοχῆς, ut insipientes inter sese contineantur.* i. e. propter utilitatem publicam. Ad specialia descendit Francisc. Connanus lib. I. Comment. Jur. Civil. cap. I. §. 3. *At enim multis videri possit, sola opinione, non etiam natura, jus esse, quod non idem sit apud omnes, sed alius alio populus, & ferè suo quisq; utatur.* Apud Persas & Macedonas erat adversus ingratos constituta actio, cum hoc malum sit apud alios populos impunitum. Et Lacedæmoniis eduliorum furta permittentur, quæ alibi fuere semper prohibita. In seditione verò populari qui neutrarum erat partium, tenebatur lege Solonis, cum is caterarum civitatum instituto, probi quietiq; civis laude cumuletur. *Et ut pauca de multis colligam, ex rapto vixere Cilices. Massageta communes*

munes uxores habuerunt: & filiarum suarum matrimonio Persæ quondam usi sunt. Adeo potens est in rebus humanis opinio, ut nacta semel consuetudinem, abeat in mores, & diuturnitate temporis natura vim obtineat. Atque id ne valde miremur in tanta populorum infinitate, in eadem sæpe civitate ac per brevi tempore leges ipsas mutari & corrigi videmus. Hinc tam multa & frequentes earum abrogationes, derogationes, obrogationes, tot plerumque earum inter se repugnantia & dissensiones. Quod in rebus honestis, quarum cum justis est proxima cognatio, animadvertere etiam est, more tantum & consuetudine quadam hominum inductas esse, cum sit in natura nullum earum discrimen: Persis turpe habebatur speruere, quod in reliquis populis non sit inhonestè. Jam nonnullis corporis partibus tantus est pudor additus, ut quadam omnino non appellentur suis nominibus; alia appellentur quidem, sed ita, ut honos præstandus sit: at istam verborum verecundiam, ut stultam & puerilem exploserunt Stoici: quia nihil putarent esse turpe dictu, sed omnem turpitudinem in rebus ipsis & factis, non in verbis & voce consistere. Ex quibus relinquitur, totam istam equi & iniqui, turpis & honesti distinctionem nullam re ipsa esse, sed injusta & turpia solum ea duci, quæ legibus aut moribus prohibentur: quæ prohibitio si tollatur, aut contrario hominum usu paulatim antiquetur, jam vel natura consensu erunt & justa, & honesta. Hæc illi; sed per impium errorem. Sicut enim Deus non nuda opinione est sanctus, bonus, justus, verax &c. ita nec actiones humanæ, quæ isti perfectioni divinæ saltem secundum quid, conformes sunt, opinione mera honestæ sunt, sed in sese, & ex rei veritate; Et per consequens apud omnes gentes vim legis obtinent, vel obtinere debent. De natura quicquid proficiscitur, æternum est, & verum: quod autem veritate nititur, quia plus uno verum esse non potest, semper unum & idem est, & ubique idem, nunquam sibi repugnans, nunquam contrarium, nullo temporis cursu mutabile. Ignis urit apud Indos, & apud omnes item populos: atque his omnibus & nix alba est, & symphonia jucundus auditus, & bene olentium odor suavis, & contrariorum sensus contrarius. Conanus l. c. Et §. 5. Quæ justorum, eadem & honestorum est distinctio. quoddam enim natura tale est, quoddam vitæ communis usus introduxit: illud perpetuum est, apud omnes, ubique, & semper honestum.

§. 32. Attributa illa divina prodeunt per ipsa opera, quæ Deus edit, ad quæ singuli in sua vocatione suas quoque actiones componere debent, si velint eas juri naturæ respondere. Deus Parens omnium creaturarum easdem nutrit & conservat, homines cum primis, quare æquum est, ut homines quoque suos fœtus dili-

gant, alant, & foveant. Deus fontes punit, nec nisi præstita satisfactione, dimittit, quare & Magistratus, qui vice Dei est gladio instructus, non debet delinquentibus veniam dare, sed prout æquitas & justitia postulant, ad pœnas ipsos revocare.

Ista Dei attributa, & opera hæc, ut eo accuratius homo nosset, verbum ipse suum, & in eo, quicquid de ipso scire, etiam in vita civili nostrum intererat, revelavit. Hoc verbum statuimus normam *ἐκτυπον* juris naturalis. Nemo melius nosse potest, quid juris competat operi, nisi ipse opifex, qui naturæ genium suum inseruit. Quid autem Deus illud opus suum velit, id denuo nemo ipso certius nosse, & revelare potest, idque ipsum est, quod Deus in verbo suo nobis manifestavit. Est quidem aliud verbum ore, aliud scriptis traditum, sed unius ejusdemque est naturæ verbum, quod subest, accidentibus & symbolis externis solum inter sese diversis. Occurrunt in verbo Dei dicta & facta, unde colligi potest, quid juris naturalis sit. *Dicta*, ut est *πολυθύλιτον* illud Rom. I, 20. quando dicitur ex natura constare, de invisibili essentia Dei, virtute æterna, & divinitate, colligendis ex intuitu creaturarum: adeo evidenter, ut sint inexcusabiles, quicumque ista nesciverint, aut ea propter non coluerint Deum creatorem, quomodo decebat. Inde invehitur Apostolus in idololatrias, Sodomitas, injustos, scortatores, fraudulentos, avaros, malitiosos, exosos, homicidas, litigiosos, callidos, infestos, susurriones, calumniatores, contemptores Dei, prævaricatores, superbos, jactabundos, damnosos, parentum immorigeros, inciviles, perfidos, intractabiles, irreconciliabiles, immisericordes; quos omnes nosse Dei justitiam vers. 32. ait, adversus tales; Noverint igitur etiam virtutes istis vitiis oppositas, cultum Numinis, quod creatura non sit, castitatem, justitiam, fidem, candorem, pacem, veritatem, & quæ porro virtutes istis vitiis adversantur. *Exempla* quoque occurrunt pœnarum divinitus iis inflictarum, qui in jus naturæ impegerunt. Jus forense, & ceremoniale gentilibus latum non est, utpote soli Judaicæ politiæ & Ecclesiæ alligatum; quare immunes erant etiam à pœna transgressoribus alias istarum legum debita; Non autem immunes erant ab omnibus pœnis. Nam leguntur gravissimas dedisse Deo judici; Illæ igitur virtutes, quarum transgressionem excidio, vel alia pœna luebant, fuerunt legis naturæ,

turæ, etiam gentilibus implantatæ præcepta. Lev. XIX, 6. seqq. longa serie Deus prohibet incestum, & naticidia, sodomitica flagitia, item bestialitatem; Rationis loco allegat excidium gentilium, istis ipsorum flagitiis puniendis destinatum. Nisi illæ leges naturales fuissent, gentiles in ipsas non impegissent, quippe quibus alia nulla lex erat lata; & pœnas nullas pendere debuissent.

§. 33. Interna norma sunt cogitationes, sive accusantes, sive excusantes & defendentes hominem. Revocari istæ possunt ad commune aliquod principium, quod ipse Christus expressit, Matth. VII, 12. Omne, inquit, quod ipsi vultis ab hominibus vobis præstari, id ipsum præstate vosmet ipsis: quæ lex est & Prophetæ. Ecce regulam agendorum erga proximum constituit ipsum tuum erga temet sensum, qui ab omni tuo malo abhorret, & vicissim ad quodcunque tuum bonum inclinat. Theophylacti explicatio notanda est ad h. l. *Κωτόμον δείκνυσι τὴν εἰς ἀρετὴν ὁδόν. οἱ γὰρ ἄνθρωποι οἰκοδοῦν γνώσκομεν τὸ θεόν. εἰ γὰρ θέλεις ἐνεργεῖσθαι, ἐνεργήτει. εἰ θέλεις ἀγαπᾶσθαι τὸν ἐχθρὸν, ἀγάπα καὶ σὺ τὸν ἐχθρὸν. καὶ γὰρ ὁ νόμος τῆς θεοῦ καὶ οἱ προφῆται ἐκείνα λέγουσιν, ἃ καὶ ὁ φυσικὸς νόμος ἡμῖν διατάπτει.* i. e. *Brevem ad virtutem viam ostendit. Ex nobis enim scimus, quid facto sit opus. Nam si vis beneficia accipere, benefac, si vis diligere ab inimicis, dilige etiam inimicos. Etenim lex Dei & Propheta illi dicunt: quæ & naturalis lex præcipit. Geminum huic principio est alterum ab eodem Deo & Christo prolatum; diligas proximum tuum sicut temetipsum Lev. XIX, 18. Matth. XXII, 39. Marc. XII, 31. Quomodo igitur Tu temet ipse diligis, eodem modo dilige & proximum, sic facies quæ legis sunt naturalis. ὁ τὸν πλησίον ὡς ἑαυτὸν ἀγαπῶν, ἅπερ αὐτῷ βέλεται ἀγαθὰ, καὶ κείνῳ βεβλήσει. εἰ δὲ εἰς δὲ ἑαυτῷ κακὰ βεβλήσει. ταῦτ' ἐν τῷ πλησίον καὶ ἐν ἑαυτῷ, καὶ ἐργασασθε γενέσθαι, ἅπερ καὶ ἑαυτῷ ὁ τὸν πλησίον ἀγαπῶν. πλησίον δὲ ἀπὸ θρώπου ἕδεν ἄλλο ὄν, ἢ τὸ ὅμοιο παῖδες καὶ λογικὸν ζῶον ὁ ἄνθρωπος. Justin. Mart. f. 251. lin. 5. i. e. *Cui proximus perinde atque ipse sibi charus sit, quæ sibi ipsi obvenire vult, eadem illi optarit commoda. Nemo certè quidem sibi ipsi male vult, proinde proximo precabitur & præstabit quæcunque sibi ipsi expetet, proximum diligens. Homini autem propinquius est nihil, quam eisdem perpeffionibus obnoxium, & ratione præditum animal, homo. Æquitas huius officii fundata est in primæva hominis creatione. Deus unum solum hominem creavit, Adamum, & ex huius costa formavit Evam, ut fuerit caro de carne, & os de ossibus istius: ex his hominibus, qui matrimonio**

juncti unum constiruebant. Gen. II, 23. 24. fluxit universum genus humanum Act. XVII, 26. Ut adeò omnes invicem simus consanguinei: quare à natura abhorret, ut alter alteri adversetur, congruit autem naturæ, ut mutua *ἑπιφιλία* invicem nos diligamus, Innuitur Gen. IX, 5. ubi Deus detestatur homicidium, & vindictam publicam comminatur homicidæ ideò, quod interfecerit hominem suum fratrem. Oportet autem ordinatum esse istud desiderium, & amorem erga sese, eumque ordinem discere potissimum ex verbo Dei, quod desiderii istis & affectibus limites suos definit, & præscribit, uti antea dictum.

§. 34. Hæc lex erga proximum admonet hominem sui officii etiam erga Deum; Deum esse, eumque esse bonum, beneficum, justum &c. à natura cognitum est, quod jam extra controversiam pono, satis probatum Act. XIV, 15. seqq. XVII, 25. seqq. Rom. I, 19. seqq. Hunc Deum esse diligendum propter beneficia, & reverendum propter majestatem, ex te ipse colligas. Præstes alteri beneficia, annon vis eum esse erga te gratum? omnino. Esto igitur & Tu gratus erga Deum, cui te, & quidquid habes, debes. In eminentia constitutus, annon te vis suspici? utique: Suspicias ergò & Tu Deum, cujus divinitatem natura te docet.

§. 35. Inexcusabiles hinc redduntur omnes homines, saltem adulti, per istas cogitationes se invicem sive accusantes, sive excusantes. Rom. I, 20. 21. Ex his nascitur sive tranquillitas animi, sive inquietudo, sive gaudium, sive tristitia; sive metus, sive fiducia, apud eos qui non plane obrutuerunt & occalluerunt. Rom. II, 14. 15. docet Apostolus, quod gentiles lege licet scripta destituti, faciant tamen naturâ legis opus, & probent, quod opus legis in suis ipsorum cordibus sit inscriptum, contestante & convincente ipsos conscientia, & cogitationibus se invicem sive accusantibus, sive excusantibus. Cogitationes igitur istæ, quæ hominem excusant, sunt norma, cuius iudicio opus aliquod juri naturæ congruere comprobatur. Et quæ hominem accusant, & excruciant, sunt norma eorum, quæ natura, & Deus naturæ auctor vult vitari. Unde enim, ut iterum cum Connano loquamur, perpetuus iste improborum languor, & tristis vultus? unde vulnera & labe, quas habent in animo æternas? unde diræ illæ ultrices, quæ nunquam mitigantur &

& quiescunt? Divina sit necesse est cœlestisque conscientia, quæ tantum in utramque partem valet, ut neque timeant ii, qui recte factorum memoria sustentantur; & qui deliquerunt, pœnam, tanquam volubile saxum, sibi semper imminere putent. Quod quid aliud est, quam jus ipsum, non ab aliqua quasi conditione hominum & pactione, sed à natura esse profectum, imò verò nobiscum esse natum, altum, & educatum.

§. 36. Confirmantur isti animi motus per externam sortem, qua sive secunda, sive adversa fruuntur illi, qui legem naturæ vel observant, vel violant. Experientia longa cognitum est, eas gentes, quæ majorem juris naturæ rationem habuerunt, aut adhuc habent, feliciores fuisse iis, quæ neglexerunt istud, vel violaverunt. Deut. XXVIII, 1. seqq. Deus promittit Israelitis, præcepta legis etiam naturalis, c. XXIX, 15. seqq. servantibus, benedictiones etiam civilium bonorum; contra iisdem comminatur v. 15. XXVIII, maledictiones varii generis, etiam eas, quæ in publico nocent. Atque hætenus admitterem utilitatem, nec damna publica inter signa saltem juris naturalis vel servati, vel violati. Sufficiat exemplum Romanorum, quamdiu illi juris & æqui fuerunt studiosi, & temperantiæ, aliisque continentiae virtutibus operam dederunt, beatam habebant Remp. & secunda fortuna utebantur. Id quod non inde solum veniebat, quod virtutes istæ tranquillitati & salutis publicæ fuerint attemperatæ, sed quod Deus naturæ auctor, illa τὰ τὸ νόμος. Rom. II, 14. præmiis quibusdam temporalibus prosequeretur.

Sed claudimus septa monito divino Josuæ dato cap. I, 8. *Non recedat volumen legis huius ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias & facias omnia quæ scripta sunt in eo: tunc dirigas viam tuam, & intelliges eam, Ecce præcipio tibi, confortare & esto robustus!*

A M E N,

Pereximio Dn. RESPONDENTI,

Amico dilecto,

Ferre nequit tellus, onus importabile, *servam*
Hæredem Domina, tremit, & concussa fatiscit.
Hoc dictum *Salomonis* erat, memorabile dictum.
At quod ferre nequit tellus, Cœlum feret? hæres
Vt *Dominæ* sit *serva* suæ. Subvertitur ordo.
Quis feret vt *Ratio Fidei* dominetur, & hæres
Vt *Dominæ* sit *serva* suæ? Cœlumque movetur,
Firmaque terra tremit. Temere tamen omnia tentant,
Qui *Ratione* sua freti, *Verbumque, Fidemque,*
Atque *Deum* sibi subjiciunt. Qui *jura* secuti
Natura, à *Jure* averfæ primoque, pioque,
Fingunt *jura* sibi. Et *jus* fit quæcunque *libido.*
Egregius labor ille *Tuus Verbumque, Fidemque,*
Afferit, intemerata *DEO* ut sua gloria constet.
Augeat hoc studium *DEVS,* & pia *jura* coronet.

f.
Isaacus Faustius, D.

p.t.Fac.Theol.Dec.

Pereximio Dn. RESPONDENTI,

Amico dilectissimo,

Militia, Rittere, *sacra* qui huc usque lacertos
Assuefecisti ad prælia docta Tuos:
Da Tyrocinium nunc pugnae, & dispice vani
Vanâ hostis temerè spicula jacta manu.
Nam poteris: notus cum sit, qui percutit ensis,
Et clypeus, cui nil hostica tela nocent.
Sic etiamque virum poteris promittere nobis,
Pramia cui laudis pugna futura ferat.

Gratul. fec.

Sebastianus Schmidt, D.

Ad

Ad eximium
DN. RESPONDENTEM

Amicum per dilectum:

Præses.

Quæ naturalis juris sit regula? quæris:
Vtilitas? ratio? sensa cuique sua?
Traditio? Mores? vel opinio? Nulla. Quid ergo?
Est Deus, & verbum, litera scripta, Dei.
Sanctus enim Deus est, & non nisi sancta probare
Nouit, & est omnis fons & origo boni.
Ad quam nos quondam, cum fingeret omnia, finxit
Conditor, ipsius dos & imago fuit.
Ista quidem periit, cum facto crimine mater
Prima suo similis desiit esse Deo.
Attamen ex ista permansit imagine quiddam,
Quod ius naturæ dicimus esse suæ;
Sed vix est priscae, quæ fulsit, imaginis vmbra,
Sic est peccato commaculatus homo.
Si juris quid nosse velis, fac noveris ipsum,
Qui dat jura, Deum, scriptaque verba Dei.



DIU RESPONDIENTEM

P. 136

Quod si dicitur in scripturis
 Quod si dicitur in scripturis
 Traditio in scripturis
 Et dicitur in scripturis
 Sandas enim dicitur in scripturis
 Nominis & est omnia in scripturis
 Aliquam non exordium in scripturis
 Cognitionis in scripturis
 In quibus dicitur in scripturis
 Primus in scripturis dicitur in scripturis
 Quod in scripturis dicitur in scripturis
 Sed in scripturis dicitur in scripturis
 Si in scripturis dicitur in scripturis
 Si in scripturis dicitur in scripturis
 Qui in scripturis dicitur in scripturis



ULB Halle
004 395 050


3



2. T. Verknüpfung

V017





12145.
Ju

N^o 39

*
Deo Auspice!

1671

DISPUTATIONEM THEOLOGICAM,
DE
REGULA JURIS
NATURÆ,

SVB PRAESIDIO
VIRI

*Plurimum Reverendi, Amplis-
simi, atque Excellentissimi,*

DN. BALTHASARIS BEBELII,
SS. Theol. D. ac P. P. longè celeberrimi,
summi Templi Ecclesiastis, & Inspectoris Collegii
Wilhelmitani Grauissimi, Domini Patroni, Præceptoris
atq; Promotoris sui summè suspiciendi.

Publicè

Defendet

LUCAS SEBASTIANUS Ritter/
Mœno Francof.

Ad Diem 13. Aprilis h. lq. s.

ARGENTORATI,

Literis GEORGII ANDREÆ DOLHOPFFII,
Imprimebat JOHANNES Schus.
Anno M. DC. LXXI.